



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Simeon Salus Conf. 1. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Henric. Canis. & tom. I. Bav. S.

Vtinam sapiamus ad presentis vitæ moderationem! utinam intelligamus ad præteritæ correptionem! utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem! S. Bernard. in ferm. 2. de SS. Pet. & Paul.

S. SIMEON SALUS CONF. I. Iulii.

Quisquis vestium splendorem quæris, cum SIMEONE, si oculos habes, videbis, si animum, etiam indues. Nempe cœnobium ingresso cum adolescentulus nuper religiosâ veste indutus occurrisset, vidit cœlestem inter comitatum multo lumine insignem & Angelico habitu regiâque coronâ exornatum incedere. Quare eandem dignitatem cum JOANNE fratre tam diu ambivit, dum uterque est potitus. Sed & Philosophum videbis in uno SIMEONE geminum; Heraclitum inquam & Democritum, sed Christianum. Nemo alius tam doctè aut flendo risit, aut ridendo deflevit mundi insaniam. Nempe Emesam urbem ingressus mortuumque canem fune trahens omnes pueros post se, mox omnem civitatem traxit, fuitque Sapientiæ Magistro risus, plausus; convitia & verbera, merces, & ingens quidem nihil aliud querenti. Interea risum comitata sunt compluria miracula. dæmones mali alapâ pulsi, cantu proscripti; carbones sive in pallio sive in manu, innoxii splendorem virtutis prodidere. oculi sinapi, aceto, alioque curati, hæretici & infames mulierculæ sapere à Stulto docti, qui scilicet jam oracula etiam dabat. Et fuit cum flagello urbis columnas aliquam multas castigavit, illud addens *state: saltandum vobis est.* & ecce saltarunt illæ terrâ movente, fed

sed steterunt cadentibus aliis. Pueros alio tempore quamplurimos perbenignè salutans in ludo supplicavit pro his Magistro, ne cæderentur, quòd longum illis iter instaret. Et hoc eis nimirum mors indixit paulò pòst per urbem grassata. SIMEONIS quoque funus cum pauculi homines curarent, adfuere Angeli, & Iesum an epinicium? cantarunt totius Orbis Mimo. *Sur.*

Per Christum sensibus innovatus abjectâ seculi huius figurâ, formam tuam in formam tui reduc Salvatoris, ut novitas sensuum tuorum in tuis actibus elucescat, & celestis homo celesti habitu jam gradiatur in terrâ. S. Pet. Chrysol. serm. 120.

VISITATIO B. MARIÆ V. 2. Iulii.

REDIBAT in astra Numinis ad MARIAM legatus, quem venturum terris nuntiaverat, cælo venisse nuntiaturus. At VIRGO DEO jam plena visendi ad cognatam Elisabetham studio in viam se dedit. Hanc monstravit, qui sub utero ivit comes, ingens MATRI, sed dulcis sarcina. Hic viæ laborem temperabat, hic properantibus pedibus alas addebat, ut expeditior nunquam iverit MARIA, quàm sic onerata. Jam sub aspectum mutuum venerant geminæ cognatæ, jam in amoris vincula brachia coiverant, cum gaudio gestiens in Elisabetha infans VERBUM in utero latens ex utero prodidit, jam tum vox clamantis. Tunc novo prodigio virginitas sterilitati, & sterilitas virginitati fœcunditatem est gratulata: tunc, quas texere Angelus cœperat MARIÆ laudes, pertexere Elisabetha, Domini Matrem salutare, quæ Ancilla venerat, super omnes illam mulieres efferre, ipsum cum primis laudibus in cælum tam sancti uteri hospitem